

DE EXEQVVTORIBVS
LITERARVM APOSTOLICARVM

Tàm Gratiaè , quàm Iustitiæ .

A V T H O R E

D. THOMA DE ROSA

Episcopo Cauen . S. Angeli Lombardorum ,
& Bisaccien.

Opus in Ecclesiasticis Curijs utile, & necessarium.

PARS PRIMA, ET SECVNDA.

De Executoribus Literarum Apostolicarum,
continentium gratiam.



ROMAE , Ex Typographia Reuerendæ Camerae Apostolicæ. M. DC.LXXVI.

SUPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO

P. F. VINCENTIO MARIAE

URSINO ROMANO

ORDINIS PRÆDICATORVM

S. R. E. Presbytero Cardinali, Tituli Sancti Xysti,
Archiepiscopo Sipontino.

Thomas de Rosa Episcopus Bisaccien. & Sancti Angeli.



I per Orbem firmæ permeantes leges
ad te pronæ patrocinandæ recur-
runt, quid mirum, Eminentissime
Domine? Romano siquidem more
æreis incidebantur in tabulis ad perpetuitatem:
nunc tuam Turrim tamquam Asylum ad securi-
tatem, nec non ab impijs tutamen efflagitant, tuam,
inquam, gentilitiam Turrim, Tolomeicæ molis
ad instar, non ad aliud, quàm ad tollendas abu-
suum nebulas, ac ad præbendam his, qui in te-
nebris ambulant, amicam lucem, erectam Tur-
rim cui nec pacifica desunt, nec bellica signa:
Rosa enim, quæ fragrat in summo, cum amica-
bili virtutum fragrantia spineas parentavit lan-
ceas in vitia. Quapropter iure merito tibi debe-
tur, EMINENTISSIME, Liber hic, ad Altissimi defen-
sanda, ac sustinenda Pontificis mandata, quia Vati-
cani cardo. Nec ut leges tuearis, effabor in te



TRACTATUS

DE EXEQVVTORIBVS LITTERARVM APOSTOLICARVM

Litteræ Apostolicæ possunt continere, vel Gratiam, vel Iustitiam: Ideo tractaturum de exequutoribus Litterarum Apostolicarum, de vrisque Exequutoribus agere me oportet. Incipiam igitur ab Exequutoribus Litterarum Apostolicarum continentium Gratiam; Postea verò de Exequutoribus Litterarum continentium Iustitiam. Breuiterque quantum possumus, Deo operante, ad eius gloriam Tractatum hunc pro viribus mihi superius collatis, absoluerè conabor: Et primò agam de illis quæ pertinent ad Exequutores in genere, deinde de vnoquoque Exequutore in specie, & cuiuslibet Gratia vsu frequenti.

CAPVT I.

De Supplicatione, in qua Gratia perficitur; & quando dicatur Gratia facta, & in iure esse perfecta?

SVM MARI VM,

- 1 *Ut obtineri possit Gratia, oportet, ut concipiatur Supplicatio humilis.*
- 2 *Supplicatio scribitur in medio folio papyri, vel in folio, prout materia suadet.*
- 3 *Supplicatio scribitur charactere Italico, siue Gallico, & Latino sermone.*
- 4 *Supplicatio diuiditur in duas partes.*
- 5 *Supplicatio porrigitur D. Datario, qui est vel Prælatus, vel Cardinalis.*
- 6 *Datarius dat Supplicationem Officialibus Dataria, à quibus in calce Supplicationis fit Summarium.*
- 7 *Summarium in supplicatione secundum Amoyden fit vel à D. Subdatario, vel eius*

Substituto in plica Supplicationis.

- 8 *Facto Summario in Supplicatione, fit fasciculus Supplicationum qui defertur à Domino Datario, vel Subdatario Santissimo nostro Papa, qui lecto Summario, firmat Supplicationes.*
- 9 *Papa firmat Supplicationes in duabus partibus proprio nomine Baptismatis.*
- 10 *Papa firmat Grantias per verbum fiat.*
- 11 *Quare Papa firmat Supplicationes nomine proprio, in Litteris vero desuper expediendis apponatur nomen quod assumpsit in electione.*
- 12 *Refertur opinio Sarnensis vsque ad numerum 15.*
- 16 *Refutatur opinio Sarnensis vsque ad numerum 20.*
- 20 *Nò omnibus, que à Maioribus nostris facta sunt ratio assignari potest, sed stylo acquiescendum est.*
- 21 *Cur Papa in prima signatura subscribit fiat*